



CAPUT VII.

- 1. **D**ixit autem Princeps Sacerdotum: si hæc ita se habent?
- 2. Qui ait: viri fratres, & patres audite: Deus gloria apparuit Patri nostro Abraha cum esset in Mesopotamia, priusquam moraretur in Charan.
- 3. Et dixit ad illum: Exi de terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram, quam monstravero tibi.
- 4. Tunc exiit de terra Chaldaeorum, & habitavit in Charan. Et inde postquam mortuus est pater ejus, transfuit illum in terram istam, in qua nunc vos habitatis.
- 5. Et non dedit illi hereditatem in ea, nec passum pedis, sed repromisit dare illi eam in possessionem, & semini ejus post ipsum, cum non haberet filium.
- 6. Locutus est autem ei Deus: Quia erit semen ejus accola in terra aliena, & servituti eos subiciet, & male tractabunt eos annis quadringentis.
- 7. Et gentem, cui servierint, judicabo ego, dixit Dominus, & post hæc exibunt, & servient mihi in loco isto.
- 8. Et dedit illi testamentum circumcissionis: & sic genuit Isaac, & circumcidit eum die octavo: & Isaac, Jacob, & Jacob, duodecim Patriarchas.
- 9. Et Patriarcha emulantes, Joseph vendiderunt in Aegyptum, & erat Deus cum eo.
- 10. Et eripuit eum ex omnibus tribulationibus ejus, & dedit ei gratiam, & sapientiam in conspectu Pharaonis Regis Aegypti; & constituit eum præpositum super Aegyptum, & super omnem domum suam.
- 11. Venit autem fames in universam Aegyptum, & Chanaan, & tribulatio magna; & non inveniebant cibos Patres nostri.
- 12. Cum audisset autem Jacob esse frumentum in Aegypto: misit patres nostros primum.
- 13. Et in secundo cognitus est Joseph a fratribus suis, & manifestatum est Pharaoni genus ejus.
- 14. Mittens autem Joseph accessit Jacob Patrem suum, & omnem cognationem suam in animabus septuaginta quinque.
- 15. Et descendit Jacob in Aegyptum, & defunctus est ipse, & Patres nostri.
- 16. Et translati sunt in Sichem, & positi sunt in sepulchro, quod erit Abraham pretio argenti a filiis Hemor filij Sichem.
- 17. Cum autem appropinquaret tempus promissionis, quam confessus erat Deus Abraha, crevit populus, & multiplicatus est in Aegypto.
- 18. Quoadusque surrexit alius Rex in Aegypto, qui non sciebat Joseph.
- 19. Hic circumveniens genus nostrum afflixit patres nostros, ut exponerent infantes suos, ne vivificarentur.
- 20. Eodem tempore natus est Moyses, & fuit gratus Deo, qui nutritus est tribus mensibus in domo patris sui.
- 21. Exposito autem illo, sustulit eum filia Pharaonis, & nutriti eum sibi in filium.
- 22. Et eruditus est Moyses omni sapientia Aegyptiorum, & erat potens in verbis, & in operibus suis.
- 23. Cum autem impleteretur ei quadraginta annorum

- tempus, ascendit in cor ejus, ne visuaret fratres suos filios Israel.
- 24. Et cum vidisset quendam injuriam patientem, vindicavit illum: & fecit ultionem ei, qui injuriam sustinebat, percusso Aegypto.
- 25. Existimabat autem intelligere fratres, quoniam Deum per manum ipsius daret salutem illis; at illi non intellexerunt.
- 26. Sequenti vero die apparuit illis litigantibus, & reconciliabat eos in pace, dicens: Viri fratres estis, ut quid nocetis alterutrum.
- 27. Qui autem injuriam faciebat proximo, repulit eum dicens: Quis te constituit principem, & judicem super nos?
- 28. Nunquid interficere me tu vis, quemadmodum interfecisti heri Aegyptium?
- 29. Fugit autem Moyses in verbo isto, & factus est advena in terra Madian, ubi generavit filios duos.
- 30. Et expletis annis quadraginta apparuit illi in deserto montis Sina Angelus in igne flamme rubi.
- 31. Moyses autem videns, admiratus est visum, & accedente illo ut consideraret, facta est ad eum vox Domini, dicens.
- 32. Ego sum Deus Patrum tuorum, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob. Tremefactus autem Moyses, non audebat considerare.
- 33. Dixit autem illi Dominus: solve calceamentum pedum tuorum: locus enim, in quo stas, terra sancta est.
- 34. Videns vidi afflictionem populi mei, qui est in Aegypto, & gemitum eorum audivi, & descendi liberare eos. Et nunc veni, & mittam te in Aegyptum.
- 35. Hunc Moysen, quem negaverunt dicentes: Quis te constituit principem, & judicem? hunc Deus principem, & redemptorem misit, cum manu Angeli, qui apparuit illi in rubo.
- 36. Hic eduxit illos faciens prodigia, & signa in terra Aegypti; & in rubro mari, & in deserto annis quadraginta.
- 37. Hic est Moyses, qui dixit filiis Israel: Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris, tamquam me ipsum audistis.
- 38. Hic est, qui fuit in Ecclesia in solitudine cum Angelo, qui loquebatur ei in monte Sina, & cum patribus nostris, qui accepit verba vite dare nobis.
- 39. Cui noluerunt obedire Patres nostri, sed repulerunt, & averse sunt cordibus suis in Aegyptum.
- 40. Dicentes ad Aaron: Fac nobis Deos, qui præcedant nos: Moyses enim hic, qui eduxit nos de terra Aegypti nescimus quid factum sit ei.
- 41. Et vitulum fecerunt in diebus illis, & obtulerunt hostiam simulachro, & letabantur in operibus manuum suarum.
- 42. Convertit autem Deus, & tradidit eos servire militie Cali, sicut scriptum est in libro Prophetarum: Nunquid victimas, & hostias obtulisti mihi annis quadraginta in deserto domus Israel?
- 43. Et suscepisti tabernaculum Moloch, & Sydas Dei vestri Rempham, figuris, quas fecistis, adorare eas. Et transferam vos trans Babylonem.
- 44. Tabernaculum testimonij fuit cum Patribus nostris in deserto, sicut disposuit illis Deus, loquens ad Moysen, ut faceret illud secundum formam, quem viderat.
- 45. Quod & induxerunt suscipientes Patres nostri;

cura

- cum Jesu in possessionem Gentium, quas expulit Deus a facie Patrum nostrorum usque in diebus David.
- 46. Qui invenit gratiam ante Deum, & petit, ut inveniret tabernaculum Deo Jacob.
- 47. Salomon autem edificavit illi domum.
- 48. Sed non excelsus in manufactis habitat sicut Propheta dicit:
- 49. Cælum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum. Quam domum edificabitis mihi, dicit Dominus, aut quis locus requietionis meae est?
- 50. Nonne manus mea fecit hæc omnia?
- 51. Dura cervicis, & incircumcisus cordibus, & auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis, sicut Patres vestri, ita & vos.
- 52. Quem Prophetarum non sunt persecuti Patres vestri, & occiderunt eos qui prænuuntiabant de adventu justi, cujus vos nunc proditores, & homicida fuistis.
- 53. Quia accepistis legem in dispositione Angelorum,

- & non custodistis.
- 54. Audientes autem hæc dissecabantur cordibus suis, & stridebant dentibus in eum.
- 55. Cum autem esset plenus Spiritu Sancto, intendens in Cælum, vidit gloriam Dei, & Jesum stantem a dextris Dei, & ait: Ecce video Cælos apertos, & Filium hominis stantem a dextris Dei.
- 56. Exclamantes autem voce magna continuerunt aures suas, & impetum fecerunt unanimiter in eum.
- 57. Et eficientes eum extra civitatem lapidabant; & testes deposuerunt vestimenta sua, secus pedes adolescentis, qui vocabatur Saulus.
- 58. Et lapidabant Stephanum invocantem, & dicentem: Domine Jesu suscipe Spiritum meum.
- 59. Postis autem genibus, clamavit voce magna dicens: Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Et cum hoc dixisset obdormivit in Domino. Saulus autem erat consentiens neci ejus.



ARGUMENTUM.

ATAM, & per amplam concionem facit D. Stephanus magnis mysteriis plenam, omnia objecta contra se altissime refutat, ut patebit ex dicendis, ostenditque Dei beneficentiam in populum Israeliticum, illiusque summa in Deum ingratitude, indeque D. Stephanus ejicitur extra civitatem ut lapidetur.

- Act. 7. Num. 1. Dixit autem Princeps Sacerdotum: si hæc ita se habent.
- Num. 2. Qui ait, viri fratres, & Patres audite: Deus gloria apparuit Patri nostro Abraham cum esset in Mesopotamia, priusquam moraretur in Charan.
- Num. 3. Et dixit ad illum: Exi de terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram, quam monstravero tibi.
- Num. 4. Tunc exiit de terra Chaldaeorum, & habitavit in Charan, & inde postquam mortuus est pater ejus transfuit illum in terram istam, in qua nunc vos habitatis.

Versiones.

CVM EXPOSITIONE I.

Vers. 1. **D**ixit autem Princeps Sacerdotum. Multi codices, & Glossa Interlinealis habent: Dixit Stephano, si hæc ita se habent Syriac. per interrogationem: Interrogabant eum, num hæc ita se haberent. Arabicus, Ubi hi commemorant, scilicet falsi testes, qui quatuor, ut notat Lyranus, deposuerunt contra Stephanum, locutum fuisse contra Deum, Moysen, legem, & Templum. Quæ omnia efficaciter refutat Stephanus, nihil se contra Deum dixisse, cujus gloriam prædicat vers. 2. non contra Moysen, cujus magnalia refert, vers. 20. & deinceps; non contra legem, quam dicit esse datam per dispositionem Angelorum vers. 53; non contra Templum, quod recognoscit, ut tabernaculum testimonij vers. 44. Prædicat Stephanus Christum Jesum, quem prædixit Moyses, & mandavit omnibus obedire vers. 37. Ita non sum blasphemus cum prædico Jesum Filium Dei, quem Moyses mandavit vobis obedire.

Vers. 2. **Q**ui ait: Viri fratres: sic valde benevole dicit suos coævos, ac juniores: Et Patres, nempe seniores, coram quibus causam dico. Deus gloria, nempe gloriosissimus, quia sua gloria Patres nostros gloriosos efficit. Apparuit Patri nostro Abraham. Novies locutus est Deus Abrahamo, & hæc extitit prima.

Cum esset in Mesopotamia, Syriacus: Cum esset in terra fluviorum, Arabicus: Cum esset in Insula, Ethiopius. In medio fluviorum. Videtur hic repugnantia, cum dicitur, in Mesopotamia. Cum Genes. 11. nu. 30. & 12. num. 1. Abrahamus dicitur eductus, ac vocatus ex Ur Chaldaeorum, tamen Chaldaea continetur sub Mesopotamia late sumpta; Mesopotamia enim extenditur usque trans fluvium Euphratem, & terminus terræ promissæ est: Ab ipso fluvio magno Euphrate usque ad Mare Occidentale. Deuteronomii 1. nu. 24.

Priusquam moraretur in Charan. Syriacus: Priusquam venisset habitaturus in Charan. Ethiop. Priusquam se transfuisset in Charan. Charan, sive Haran, sive Chara, utroque modo dicitur, ut patet ex Luciano lib. 1. de bello Civili; extitit nobilissima Parthorum Urbs sita in finibus Mesopotamiæ versus Lucanus, terram Chanaan.

Vers. 3. **E**t dixit ad illum, exi de terra tua, & de cognatione tua. Syriacus: Ex filiis cognationis tuae. Arabicus: De gente generis tui. Illud vero, quod habetur Genes. 12. nu. 1. de domo Patris tui, omisit Stephanus, quia id valde notum erat, ait Hugo, his, quibus loquebatur, & ait: Exi de terra tua, nempe patria tua, quæ valde dulcis est hominibus, cum ait: Exi de terra tua, non solum corpore, sed etiam animo, & sub terra; potest etiam intelligi aliquam possessionem, vel hereditatem, quam ibi habebat Abrahamus: De cognatione tua, consanguineis, ac familiaribus, nisi, ut bene notat Caietanus in Genesim, aliquis ex eis vellet ire cum Abrahamo, ut fecerunt Thate ejus Pater, & consobrinus Loth.

Alii Codices, Interlin. Arabic. Arab. Liran. D. Stephanus refutat objectionem.

Novies Deus locutus est Abrahamo. Syriac. Arabicus. Ethiop. Gen. 11. nu. 30. & 12. nu. 1. Deuteronomii 1. nu. 24. Syriac. Arabic. Genes. 12.

Et

6. Et veni in terram, quam monstravero tibi. Syriae: Commonstravero. Arabicus: Quam tibi ostendam. Summa obedientia nesciebat an iter esset longum, vel proximum. Carthusianus existimat Angelum ei fuisse ducem in via? nesciebat etiam, an terra, ad quam tendebat, esset sterilis, foecunda, ac bonae conditionis, ut notant D. Chrysof. D. August. Lypomanus, & alii.

7. Veri. 4. Tunc exiit de terra Chaldaeorum, ex hoc aperte constat, quod Chaldaea intelligitur sub Mesopotamia, in qua ver. 2. dicitur quod habitabat Abrahamus. Tunc exiit: Perfecta obedientia ad Domini mandatum: Transiit illum in terram istam. D. August. lib. 16. de Civit. cap. 16. legit Collocavit. Syrus mutavit, sedem, nempe Abrahamae, ac habitationem ex Haran in Chanaan: In qua vos nunc habitatis: Non ait habitamus, quia, ut ait Glossa: Ipse & Apostoli non habitant in terra, sed tamquam degentes supra terram properabant in caelum.

QUAESTIO I.

Quare Divus Stephanus loquens prius vocat fratres, postea patres, cum e contrario videbatur dicendum.

8. Ait Prothomartyr Vini fratres, & Patres? Per Patres intelligit majores, ut Pontifices, & Seniores; per fratres eos, qui minores erant, & tamquam de populo; communis tamen usus, ac stylus benevolentiam captantium, ut reverentia a majoribus postulerent, indeque ad minores deveniant: at D. Stephanus mutato stylo ab inferioribus incipit, postremo majores commemorat; prius dicit fratres, deinde Patres commemorat.

9. Per Patres intelligit majores, ut Pontifices, per fratres homines vulgares, ac de populo, inter quos erant ejus accusatores, qui tamquam facto agmine, ipsum rapuerunt, & adduxerunt in Concilium, & testes falsi, ut dicitur superiori cap. 1. & 12. & grandia crimina contra eum deposuerunt, & eorum nequitia, ac perveritate non est imminuta Stephani Charitas, sed inde potius est stimulata, atque excitata, ut magis eos diligeret, magisque honoraret, in majorique reverentia haberet, ut ab illis prius veniam postulatet.

10. Ait Regius Vates Psalm. 34. numero decimotertio de dura persecutione, quam patiebatur a Saul: Ego autem cum mihi molesti essent: induerit cilicio, humiliabam in jejuniis animam meam; & oratio mea in sinu meo convertetur. Ni fallor, nullo alio loco video orationem tam fervidam Davidis, ut modo cum cilicio, jejuniis, ac humilitate, & pro quibus tam vehementer deprecabatur; de illis, explicat D. Augustin. Noster Incognit. Genebrard, & alii, Qui ei erant molesti, seu, habet alia littera: Qui fremebant in eum. Ex tanta persecutione, ac molestia non remittebatur Davidis charitas, sed inde magis vehementi oratione ardebat, ut pro eis cilicio, jejuniis, ac humilitate exoraret; in sinu meo quod etiam erat in meum commodum, ac utilitatem ex tanta charitate proveniente.

11. Pergit David: Quasi proximum, & quasi fratrem nostrum sic complacebam. Caietanus: Quasi socius, quasi frater. Schola apud Bibliam maximam, quasi natum ex eadem matre, Lyranus: sic complacebam in eorum prosperitate. Tanta benevolentia, ac charitate erga suos adversarios, qui de eorum malis tristaretur, eorumque bonis jucundaretur, atque in eis maxime complacebat.

QUAESTIO II.

Quare D. Stephanus suos accusatores, ac carnifices vocat fratres, ac Patres?

12. Sum magnum, & altum sermonem incipit Stephanus, dicens: Audite viri fratres, & Patres, tam affabiliter orditur, ut eos benevolos auditores faciat; sed quomodo suos accusatores, testes falsos, iudicesque iniquos, qui omnes anhelabant ad ejus perditionem, & interitum, tam mansuete, ac benevole alloquitur? Quod recte ponderat Nicenus oratione de ipso, & ait: Illi quidem ad sedem spectabant, & jam manus lapidibus armabant, obitu, anhelatione, denique collisione sevitiam praefidentes, hic vero tamquam fratres aspicebat, & tamquam Patres salutabat: Vidi enim fratres, & Patres audite. Et quam excellens fuerit hac virtus, & quantum illa promeruerit, sic pergit citatus Nicenus: Talis martyrii princeps erat, qui adversus omnes inimici copias, sese approposuisse, adversus omnes victoriae clarus designatur. Expende illud talis martyrii Princeps erat, quia tanta charitate, benevolentia, ac patientia Stephanus eminebat, inde in tantum sublimatus est, ut inter tot illustrissimorum martyrum millia primatum obtineret, princeps, ac antesignanus eorum dux: Talis martyrii princeps erat. Joseph elevatus est a Pharaone, ut esset Princeps, ac praepositus super omnes Aegyptios Genes. 41. num. 41. & confectus a fratribus est adoratus, de ipso ait Homerus ibi: Ioseph nec expoliatus tunica in cisternam missus, & venditus a fratribus, captivus in Aegyptum in carcerem missus charitatem ac pietatem non amisit, sed in vinculis cordis omnes retinebat, ideoque omnium primus factus est.

13. Maxime tamen ponderandum venit, quod scilicet valde suaviter, leniterque loquatur Divus Stephanus, ut ponderat Divus Augustinus serm. D. August. tertio de Sancto Stephano capite primo: Audite fratres, & patres, & ait: Quid lenius, quid elegantius; blande locutus est, ut diu audiretur. Postea magno rigore invehitur in eos numero 51. Dura cervicis, & incircumcisi cordibus. Magnus, & praclarus praeful prius blande, ac benigne agit, ut eos alliciat, ac devincat, cum vero non proficit, sed obliquate persistunt, tunc rigorem interponit, ut eos compescat: Occumenius sic ait: Hactenus mansuete concionatus; nunc asperè agit, quia videbat illos animum non advertere his, quae dicebantur.

14. Benedicens Jacob Filium suum Ioseph ait illi: Sedit in forti arcus ejus, & dissoluta sunt vincula brachiorum, & manuum illius per manus potentis Iacob; Inde pastor egressus est lapis Israel. Genes. 49. n. 24. ait in forti, quia extitit fortis in persecutionibus fratrum, ac tentationibus impudicae mulieris. Dissoluta sunt vincula Dei auxilio, quibus venditus, & captivus est. In rem nostram; Inde pastor egressus est lapis Israel. Quomodo haec coherent, Pastor totus blandus, ac suavis, lapis durus rigidus, & asperus. Ita sane cum Ioseph esset Praelatus talis erat lenis, & blandus in bonos, durus, & asper in malos, & prius pastor, deinde lapis, & prius blandus postea durus. Divus Gregorius lib. 1. Regesti epist. ubi sic ait: Necessè est enim, ut praelatus, & benedictus sit per humilitatem socius, & contra delinquentium vitia per zelum iustitiae erectus quatenus, & bonis in illo se praeferat, & cum delinquentium culpa exigit, prioratus sui potestate agnoscat.

15. Ab ipso Ioseph non discedamus; cum ipse teneret clavum Aegypti, fame urgente, descendunt ejus fratres in Aegyptum ad frumenta comparanda, quos cum agnovisset durius loquebatur; & ait Textus: Tollenque Simon, & ligans illis praesentibus, iussit ministro, ut implerent eorum saccos tritico; & reponerent pecunias singulorum in sacculis suis, & tatis sum a cibariis in viam. Genes. 42. numer. 25. Ecce in praesenti summa rigiditas, summaque benignitas, rigiditas dum dare loquitur, ut exploratores arguit, & fratrem Simonem ipsis praesentibus ligat, summaque benignitas apparet, dum triticum, insuper pecunias, & cibaria in viam illis confert; quomodo haec tam diversa sibi constant? Personam Praelari agebat Ioseph attendens ad eorum crimina, & culpam; ob quam sunt accusati, rigidum se exhibebat: at considerans eorum necessitatem ad alendam vitam, & ad viam peragendam blandus, ac lenis erat; ad hoc advoco id, quod dicit D. Gregorius homil. 34. ad cap. 14. Lucae, ubi sic ait: Iusti solent peccatoribus zelo disciplina indignari; quia estis foris increpatione per disciplinam exaggerant; intus tamen dulcedinem per charitatem servant.

QUAESTIO III.

Quare cum Deus hic apparet Abrahamo dicitur Deus gloria?

16. Ait Textus: Apparuit Rex gloria, frequentet in Scriptura Deus dicitur Rex gloria. Psalm. 23. numer. 9. & 10. Invocabi Rex gloria, Dominus virtutum ipse est Rex gloria, & Apost. 1. Corinth. 2. numer. 8. nunquam gloria Dominum crucifixissent; sic & aliis in locis, ipse enim est omnium gloriosissimus Rex, cui soli omnis gloria, & honor est debitus. 1. Timoth. 1. numero decimo-septimo in cuius conspectu, ac visione consistit tota nostra gloria, ac Beatitudo, & tam gloriosus, qui suae gloriae suos participes facit, eosque gloriosos reddit, ac constituit.

17. Doctissimus Salianus existimat, quod Deus in hac prima apparitione facta Abrahamae, illi se exhibuit multa cum gloria, ac majestate, non quod Deus ei apparuisset in sua substantia, sed per Angelum in ejus persona; ut tenent hoc loco Carthusianus, Hugo & in Genesi Lyranus, Abulensis, Caietanus, inde nunc hic dicitur Deus gloria, cum tanta majestate, ac gloria Abrahamo apparuit, & merito sane mandabat Deus Abrahamo exire de terra, & quia unusquisque magno affectu ad patriam suam teneret, ut ipsa ei despectibilis videretur, essetque ei suave eam relinquere, ideo ei ostenditur tanta gloria caelestis; cuius conspectu omnia terrena disparent, & tamquam in nihilum labantur.

18. Loquens Divus Matthaeus 24. numer. 29. de adventu Christi Domini ad iudicium ait: Statim autem post tribulationem aie: um illum Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & Stella cadent de Caelo, & virtutes de Caelo commovebuntur; & tunc apparebit signum filii hominis. Valde diversi modo loquitur Haia 30. numer. 26. Et erit Luna, sicut lux Solis, & lux Solis septemplex, sicut lux septem dierum in die quando alligaverit Dominus vulnus populi sui. Sanabit nempe mortalitatem nostram per dotes corporis gloriosi. Ita Noster D. Cyrillus Alexand. D. Hieronymus, Hugo, Cor-

nelius. Quomodo haec possunt stare, si in adventu Filii Dei caelestia lumina obscurantur; quomodo tanta luce fulgebunt? Haia habet sermonem de splendore, quem in se habent, qui septemplex erit multo major, D. Matthaeus loquitur respective ad fulgentes radios gloriae Christi tunc apparentis, ad cuius intuitum splendidissima lumina obscurantur, & ita disparent, ac si de Caelo caderent; & non essent. D. Paschas. lib. 11. in Matth. ait: In comparatione verae lucis omnia caelorum luminaria sic futura prophetantur a Domino, ac si tenebrosa. Non in sua natura, sed ad fulgorem aeterna lucis comparata, valde obscuraverunt. Cum fulget Dominica gloria omnia pulcherrima & decora creata in nihilum abeunt; & videntur tenebrosa, non in sua natura, sed ad fulgorem aeternae lucis comparata.

Ait Regius Vates Psalm. 36. n. 36. Vidi impium super exaltatum, & elevatum, sicut Cedros Libani, & transivi, & ecce non erat. Unde fieri potuit, ut qui tam magnificus, amplus, & altus erat, qui praeter sui proceritate cum Cedris Libani competebar; brevi Davidis transitu periret, & non extaret, nec illius vestigium reperiretur? Vis causam scire? consideras quo transiit David, neque ad contemplanda Dei gloriam & majestatem, ubique in illam defixit mentem suam, statim omnia mundalia evanuerunt, & ita disparentur, ac si omnino nihil essent. Sic fatur Elias Creten. orat. 3. Quid illud est, quod transiit istus, ut ista cesset claritas; Cum videmus extolli impios, & in nimiam superbiam crescere; transcamus, & nos mente; & intellectu ab eis, quae videntur, & temporalia sunt, & transferamus intellectum nostrum ad aeterna. Si mens ad aeterna elevatur omnia temporalia tamquam ad nihilum redacta videntur evanescere; sic de anima sancta elevata ad Caestem Beatitudinem dicitur: Quae est ista quae ascendit per descensum. Cant. 3. n. 6. nam respective ad illam gloriam totus mundus desertus, & vacuus erat.

QUAESTIO IV.

Quare dicitur mandatum Abrahamae exire de terra sua, cum hoc videatur executioni datum a Patre eius Thare?

19. Gavis insurgit difficultas, in eo quod ait Textus Deum mandasse Abrahamo: Exi de terra tua, & de cognatione tua, & tamen non videtur factum, nec executum ab Abrahamo, sed a Patre suo, sic dicitur Genes. n. 11. 31. Tullius itaque Thare Abram filium suum, & Lot filium Aran, filium filii sui, & duxit eos de Ur Chaldaeorum, ut irent in terram Chanaan.

Ad quod recte respondet D. Chrysof. homil. 6. in Genesim, & ait: Elegit Abrahamus paternam regionem relinquere, & alienam inhabitare, ut praeceptum Dei persueret, & paratus erat, etiam absque familiaribus peregrinus fieri, sed viri virtus, & insignis erga parentes pietas effecit, ut pater comes fieret itineris. Communis doctrina est, quam optime explicat Sapientissimus Magister Didacus Baega tom. 3. de Christo figurato lib. 6. cap. 1. §. 3. Praeceptum exequendi a terra, ac cognatione sua datum fuit a Deo Abrahamo, quod cum ille sequens Dei vocacionem Patri aperuisset, ipse non tantum ob amore filii, sed potius ob illius virtutem, a quo illuminatus fuerat in fide, noluit ab eo separari, sed cum eo peregrinare, Abrahamus paratus erat propriam terram, & parentes relinquere, sed pater ejus Thare voluit eum comitari, ut filium, ac magistrum; Thare enim infestus fuit idololatria Chaldaeorum, sed a filio Abra-